De Summa Prividentia res humanas administrante

S.R. Taillandier

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

SUMMA PROVIDENTIA

RES HUMANAS ADMINISTRANTE

QUID SENSERINT PRIORIS ECCLESIÆ SCRIPTORES

ET QUÆ FUERIT APUD EOS HUJUS DOCTRINÆ FORTUNA ET INCREMENTUM

DISSERTATIO ACADEMICA

SCRIPSIT

S. R. TAILLANDIER

IN FACULTATE LITTERARUM JAM LICENTIATUS

PARISIIS

E TYPIS CRAPELET

VIA DICTA DE VAUGIRARD, 9

1843

DILECTISSIMO SODALI

TH. GUIARD

REGIÆ UNIVERSITATIS AGREGATO

IN ARGENTORATENSI ACADEMIA PROFESSORI

Quamvis omnibus fere probatum acceptumque sit, natam e christiana religione recentem eam doctrinam, qua res humanas, imperiorum fata, totamque historiarum seriem, a summa Dei providentia, salva licet hominis libertate, regi atque administrari profitemur, novam tamen nec judicum indulgentia indignam quæstionem fore arbitratus sum, si diligentius exigeretur, unde orta, quibus paulatim incrementis coalescens, ad magnum nostrum oratorem, Ecclesiæ gallicanæ decus, mox meliori splendore illustranda, doctrina illa pervenerit. Sæpe quidem audiveram celebres illos de universa historia libros ex antiquis prioris Ecclesiæ laboribus quasi pendere, harumque doctrinarum originem apud sanctum Augustinum Paulumque Orosium reperiri posse; sed quæ fuerit cujusque pars, quid quisque attulerit, nondum attente inquisitum fuisse videbam. Cum igitur haud parvi interesse crederem, si præclari hujus operis fontes scrutatus fuerim, spes aliqua augebat insuper studium addebatque animos, fore scilicet ut mihi veteres Ecclesiæ christianæ doctores cum antiquis universalis, quæ dicitur, historiæ

scriptoribus conferenti, aliquid novum occurreret. Cuilibet enim scriptorem nostrum pervolventi doctrinamque illam de divina rerum humanarum gubernatione admiranti, facile apparet nihil unquam tale apud veteres excogitatum fuisse. Si vero prima istius doctrinæ rudimenta, apud sanctos Ecclesiæ patres scriptoresque inquiramus, facilius erit pronuntiare num doctrina hæc repente exstiterit, an non et ipsi veteres universam historiam condere tentaverint, et hoc quidem quo modo, quibus doctrinis innixi fecerint, quid demum christiana religio in ea, quæ dicitur, historiæ scientia sibi merito possit vindicare.

I.

Constat quidem non in primis humani generis sæculis nasci potuisse eam de qua agimus universæ historiæ scientiam, cum in illis vitæ suæ incunabulis populus quisque nihil præter se ipsum in toto orbe videat ac se æterne mansurum confidat. Postquam vero sæcula multa effluxere, multaque imperia, multæ urbes cecidere, incipit humana mens inquirere quid sibi velit ista variorum fatorum series; et dum res olim gestas narrat historiæ scriptor, longumque temporum ordinem evolvit, et imperiorum mutationes perpendit, necesse est ut e tanto tot rerum spectaculo, doctrina quædam exoriatur cui innumeras eventorum varietates velut summæ alicui legi parere existimet. Quod præsertim his temporibus fieri debuit, cum, devicto terrarum

orbe, omnes gentes populus romanus sub ditione sua coactos redigeret. Et duas quidem propter causas hoc evenit, primum quod multis antea populis summo imperio potitis, sed brevi defectis, nulla civitas citius atque fortioribus consiliis potentiam suam condiderat; deinde quod victas omnes terræ gentes, inter se hucusque disjunctas, quasi in unum congregaverat, ita ut se humanum genus tandem cognoscere potuerit.

Cum igitur singulari illa populi romani vi ac patientia tantum imperium acquisitum fuerit, nullo modo mirandum est si ea philosophica historiæ ratio nihil aliud apud eos fuerit, nisi invicti cujusdam animi roboris conscientia. Vigente ista generis humani virilitate, viriliter affirmaverunt historici, quid homo de se ipso sentiret, quantum vi, quantum patientiæ et fortitudini confidendum esset; quid denique posset ad humanas res fortiter capessendas, in consilio prudentia, in agendo vis. Eminuit primum sententia hæc apud Polybium, non sine forti quadam audacia rebus romanis narrandis aptissime et in præsentia et in posterum accommodata; nam ea est duplex Polybii historiarum pulchritudo ut romanæ gentis fortitudinem nullus unquam scriptor fortius celebraverit, et historiam quoque universam mox de longinquis romanorum expeditionibus orituram primus prodiderit in lucem. Nihil quidem afferam nisi e medio sumptum, si firmum ac fortem Polybii sensum, animum ut agendis rebus exercitatum ita narrandis paratissimum, totius denique

operis firmitatem et certitudinem laudavero; sed, his prætermissis, hoc tantummodo notare velim, qualis ea sit apud veteres philosophicæ historiæ doctrina, quantæ fiduciæ innixa. Vidit Polybius maximum quod unquam fuerit imperium, quingentis fere annis paratum, et cum fortuna, id est, si eum recte intelligis, cum hominum industria omnia ad hunc finem inclinaverit, cupit et ipse historiam suam ad hanc operis hujus universi consummationem vertere. Accedebat eo, ut ipse profitetur, quod hæc esset optima occasio ut universam historiam conscriberet, cum non tantum bellum quoddam, urbem captam, populum devictum narrare, sed magnum illud opus multis partibus confectum, potentiam scilicet romanam, Sicilia, Africa et Græcia debellatis, omni, qua habitatur, orbi imperantem, celebrare aggrederetur; ita ut universam quodam modo historiam primus inter veteres scribere tentaverit. Et cum in eam ætatem ista initia inciderint, qua minus auctoritatis jam religioni tribuebatur, nondum vero melior quædam fides ab animis poscebatur, sic factum est ut hoc de genere humano ausus sit profiteri Polybius, nihil scilicet fortunæ relinqui, nihil diis, omnia vero e voluntate hominum pendere, omnia fortitudine et patientia administrari atque comparari.

Hæc igitur sententia, quam ex Romanis ipsis rapidisque romanæ reipublicæ incrementis mutuatus fuerat Polybius, paulatim apud eos invaluit atque ipsa hujus populi indoles facta est. Eadem emicat

apud Sallustium, non modo artis politicæ et rerum tractandarum peritia, sed, quod magis quærimus, fortitudinis romanæ confidentia. Nec non apud Titum Livium aliquid simile apparet, etsi fractis jam priscis viribus et labantibus animis, multa apud eum patriis diis concedantur, misceanturque sæpe, ut fatetur ipse, humanis divina, dum mentem suam a præsenti malorum conspectu avertit.

Interea crescente Romanorum potentia, cum magis ac magis gentes in unum cogantur, quam Polybius tractare studuerat universam historiam, aggredi quoque nonnulli scriptores facilius possunt; quorum alii id exsequuntur præcipua imperia et pulcherrimas generis humani ætates inter se conferentes, ut Trogus Pompeius, alii vero, ut Dionysius halicarnassensis, Diodorus siculus, Appianusque, Romæ historiam et incrementa narrantes, quam Polybii instar cæteris historiis gaudent opponere. Polybii vestigiis incedit Dionysius cum id refellere tentat, quod multi apud Græcos asserebant, Romanos nempe non virtutibus suis sed casu et quadam iniquitate fortunæ ad tantum fastigium esse provectos. Addit vero aliquid majus Diodorus siculus, in eo magnifico, quod de utilitate historiæ scripsit, proœmio. Nam postquam Polybii illa doctrina diu increbuerat, ad producendos fortes animos admodum apta, sed quæ hominem velut historiæ regem ac dominatorem, absente Deo, superbius collocaret, apparet apud Diodorum, fracto jam juvenili illo imperii romani vigore, nescio quæ in Providentiam fides, et suspicatus fuisse videtur,

quod mox christiani scriptores sæpius iterabunt, Providentiam scilicet hoc universum Romæ imperium ad fines suos præparasse, ut facilior inde apud omnes gentes aditus veræ religioni aperiretur. Cum enim de historia universa loquitur, docens quid valeat, quam conferre possit utilitatem, non solum magnam inde doctrinæ copiam legentibus parari affirmat, animumque inter tot casus, tot exempla, sapientiorem fieri, Ulyssis instar, qui dum per gentes ignotas erraret,

πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω,

non solum, inquam, magnum proclamat inde fructum percipi, quod ubique Providentia appareat, puniatque bonos et malos remuneret, sed et hanc pulcherrimam addit sententiam :

Ἔπειτα πάντας ἀνθρώπους, μετέχοντας μὲν τῆς πρὸς αλλήλους συγγενείας, τόποις δὲ καὶ χρόνοις διεστηκότας, ἐφιλοτιμήθησαν ὑπὸ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν σύνταξιν ἀγαγεῖν, ὥσπερ τινὲς ὑπουργοὶ τῆς θείας προνοίας γενηθέντες [1].

Nonne ea est vere christiana vox? nonne agnoscimus nihil profecto mirandum esse si Diodorum siculum primi christiani scriptores, Justinus [2], Eusebiusque [3] laudaverint, eumque vocaverit Fabricius « Providentiæ divinæ assiduum prædicatorem,

[1] Lib. I, *Initio*.
[2] Justinus, *Protrept.*, p. 10.
[3] Euseb. *Præpar. evangel.* lib. I, 6.

« bonis præmia, sceleratis justas, licet quandoque feras, tribuentis poenas [1]. » Nihil adeo novi, fateor, excogitavit Diodorus, cum diutius antea platonici et stoici Providentiam divinam celebrantes, rem jam a Platone, in dialogo decimo *de Legibus*, disputatam sæpius usurpaverint; non nullius vero momenti mihi visum est, quod Diodorus hanc opinionem primus in tractanda historia, qualicumque modo, transtulerit. Sed quam sublimis esset hæc sententia, ipse forsan Diodorus minus perceperat, et quamvis ipse, Dionysiusque halicarnassensis, Appianusque, cæterique universæ historiæ scriptores, τῆς θείας προνοίας, ut fatur, ὑπουργοί exstiterint, viamque christianis historicis paraverint, illud præsertim in ea, quæ nobis rapide adumbranda fuit, apud veteres historiæ doctrina, animadvertendum est, quantam homo in se ipso fiduciam habuerit, quanta superbia et vere juvenili confidentia nihil nisi se ipsum viderit, quam parum quærere curaverit an non et Deo aliquid in administranda fortuna sit concedendum.

II.

Quæ Polybii Romanorumque historicorum doctrina quam fortis, quam nobili superbia elata, humanæque fiduciæ apte accommodata sit, satis patet. His in doctrinis præclarissimum videre mihi videor antiqui ingenii testimonium, quam ultra metam

[1] Fabric. *Biblioth. græc.* lib. III, 31.

progredi non potuerit. Firmam atque virilem audivimus animi humani de se ipso professionem, nihil sorti concessum, nihil fortunæ, omnes rerum publicarum eventus hominum industriæ servientes, animumque, ut ait Sallustius, ducem et imperatorem vitæ mortalium. Quid nunc superest, nisi ut ipsius summi Dei in hoc tanto opere partes vindicentur, incipiantque paulatim homines inquirere, an non humanis consiliis fortius certiusque quoddam, divinæ scilicet Providentiæ, consilium fas sit suspicari?

Quam quidem meliorem doctrinam, ejus licet apud Diodorum siculum tenue aliquid vestigium fuisse videatur, haud facile apud veteres nasci potuisse existimarim. Duobus enim, nisi fallor, auxiliis opus erat ad informandam eam, de qua agimus, philosophiam, scilicet ut inter tot gentes, tot imperia, a se invicem non minus moribus et origine quam spatiis aut temporibus disjuncta, vinculum quoddam reperiretur, quo totum humanum genus unum et arcta cognatione sociatum appareret, deinde ut nova existeret religio, quæ animum humanum supra terrenas res elatum velut in fastigio quodam collocaret, unde tota fatorum series nova quasi luce illustraretur.

Interea e tenebris emergit populus iste, qui remotissimas mundi origines, populorum cognationem, vinculum humanæ familiæ nunquam ruptum, *res alta terra et caligine mersas,* se scire aiebat et fide servasse. Ab omnibus gentibus diu segregatus, pau-

latim se populis externis immiscere incipit, et quem nondum in historia obtinuit locum, nunc sibi vindicare vult, longamque nec interruptam sæculorum seriem ostendere. Magnum profecto opus, sed quod nondum satis est; nam qui hæc afferunt, iidem et doctrinam novam, Christi scilicet religionem, prædicant, cujus ea est indoles, ut res terrestres dedignata, aliam et divinam quidem, ut ait Augustinus, civitatem hominibus ædificet. Parata igitur omnia sunt, ut ea nova, quam inquirimus, de summæ Providentiæ gubernatione doctrina surgere possit; multis rerum humanarum conversionibus jam præparata, in ipsis christianæ fidei doctrinis, quod nemo eat inficias, licet obscura, continetur, et quomodo exstiterit, quibus paulatim sese incrementis informaverit, mihi in hac disquisitione explanare propositum est.

Licet ii primum nominandi sint scriptores qui, chronologiæ intenti, res hæbraicas cum profanis annalibus conferendas curaverunt, non diutius mihi apud eos demorandum est. Parum ad propositum meum attinet quidquid Eusebius in hoc gravissimo labore effecerit; et qui hæc curiosius tractare velint, ad Scaligerum in doctis his libris, *de Emendatione temporum*, et in *Thesauro temporum Eusebii*, remittam. Satis mihi habeam, si de his argumentis quod ad me pertinet excerpam, et hanc Eusebii chronologiam eam esse profitear, quæ mox informandæ de Providentia doctrinæ non parvi profecerit. Cum enim in hoc imprimis constet ea doctrina, ut

in toto rerum præteritarum cursu, duas civitates, hanc homini servientem, illam Deo consecratam aspiciat, necesse quidem fuit ut ista Hæbræorum chronologia constituta esset et cum cæterarum gentium annalibus apte collata. Nec, post Eusebium, inutilis quoque fuit Sulpicii Severi *sacra Historia*, qui, Eusebii vestigiis incedens, aliud tamen munus exsecutus est. Constituerat Eusebius imprimis historicam temporum rationem, operam vero Sulpicius Severus enixe dedit, ut res a mundi exordio in sacris Scripturis editas, breviter constringeret, « Multis, inquit, id a me studiose efflagitantibus, « qui divina, compendiosa lectione, cognoscere « properabant [1]. » Ambo igitur, licet suo quisque modo, eodem munere functi sunt, nam cum ille distinctiones temporum attente perpenderit, alter autem sacras res brevi atque elegantiori sermone et sallustiana, ut sæpe dictum est, eloquentia narraverit, audaciori sancti Augustini ingenio facilius postea licuit his auxiliis inniti, sublimemque excogitare intelligendæ historiæ rationem, ad quam transeundum est.

III.

Mirum jure ac merito videri potest, quod illa in divinam Providentiam fides non sese proprio ac libero motu apud primos Ecclesiæ doctores evolverit, doctrinamque produxerit rebus historicis accomo-

[1] Sulpicii Severi *sacræ Historiæ* lib. I, c. 1.

dandam. Non libero, inquam, motu animi, non ex industria has doctrinas explanavere, sed eas fortuito tantum casu, ut videtur, dumque paganis adversantibus responderent, ea disputatione accensi, invenerunt.

Christiana religione in imperio romano publice recepta, contigerat ut in eadem tempora Romæ corruentis fata inciderent. Violati ubique imperii fines, vastatæ provinciæ, eversæ urbes, afflicta Romanorum arma, incurrentesque in Italiam Barbari et contra Romam grassantes. Quid mirum si pagani, tot calamitatibus perterriti, ultionem esse deorum contemptorum putarent? Quæ quidem opinio, jam exeunte quarto sæculo nata, mox magis ac magis increbrescere cœpit; ex quo præfectus urbis Symmachus causam egit, ut victoriæ aram Gratiani imperatoris jussu, anno 382, sublatam, in curia senatus reponeretur, resque bis etiam, licet sine bono exitu, tentata est; increbuerat semper ista apud paganos opinio, et sacra christiana infestius incusabantur. Symmacho Ambrosius episcopus mediolanensis et Prudentius, hic libello ad imperatorem misso, ille versibus *contra Symmachum* inscriptis, respondere conati sunt, sed violentis quidem declamationibus, unde nihil decerpere licet, quod ad certam de Providentia doctrinam possit referri. Non mutaverunt paganorum opinionem Ambrosii et Prudentii scripta, et cum, ineunte quinto sæculo, post cladem Radagasii, rursus infestiusque incurrerint Barbari, Romamque Alaricus, quæ se bis pretio liberaverat,

tertia opugnatione captam, suo exercitui spoliandam tradiderit, confirmatus demum tristiorque auditus est ingens ille paganorum clamor, jamdudum exortus, Romanos contemptæ religionis pœnas terribiles luere, christianosque in imperii exitium missos fuisse.

Cum tantus esset paganorum dolor, tam gravis imperii afflictio, percelleretque animos terroris plena res, urbs scilicet sacris patriis protegentibus invicta, nunc iis contemptis expulsisque, Barbarorum armis direpta [1], nescio an et ipsi christiani primum attoniti turbatique non hæserint. Quod quidem libenter credam, nec id adeo absurdum est, si attendas quantam in respondendo curam, quantum studium Augustinus attulerit. Illud saltem observandum est, quas jam pagani et christiani personas in hac contentione sustinuerint. Qui vix uno ante sæculo christianos atrocissimis suppliciis persequebantur, nunc meliorem causam videbantur suscepisse, cum patriam exitio labefactam lugerent, patriaque sacra efflagitantes repeterent, sacra nempe et aras illas quæ, ut dixerat Symmachus, *Annibalem a mœnibus, a Capitolio Senonas repulerunt*. Defensore igitur, si fieri posset, magno et

[1] Notanda est Zosimi tristissima hæc declaratio : Τοῦ θυηπολικοῦ θεσμοῦ λήξαντος καὶ τῶν ἄλλων ὅσα τῆς πατρίου παραδόσεως ἦν ἐν ἀμελείᾳ κειμένων, ἡ Ῥωμαίων ἐπικράτεια κατὰ μέρος ἐλαττωθεῖσα βαρβάρων οικητήριον γέγονεν, ἢ καὶ τέλεον ἐκπεσοῦσα τῶν οἰκητόρων εἰς τοῦτο κατέστη σχήματος ὥστε μηδὲ τοὺς τόπους ἐν οἷς γεγόνασιν αἱ πόλεις ἐπιγινώσκειν. (IV, 59.)

eloquenti egebat christiana religio, ne huic novo periculo impar esse existimaretur. Inde ortum mirum illud et singulare opus quod *de Civitate Dei* Augustinus inscripsit, in quo si nunc orationis ambages, solutam et intemperantem inconditarum rerum abundantiam, tumultum orationis, nunc vero sublimes doctrinas ac subita quædam ingenii fulmina mox tenebris recondita recte intelligere velis, memineris oportet qua ex origine, qua disputationis necessitate prodierit.

Perlegentem me hos *de Civitate Dei* duo et viginti libros res aliqua semper maxime perculit, quæ mihi, nisi fallor, totius operis proprium et peculiare insigne videtur. Scilicet tempus venit, quo antiqui mundi flos ille marcescere incipit; in ista tempora christianæ fidei prima initia incidere, quibus omnis jam antiquorum Romanorum gloria, omne robur, omnis disciplinarum et philosophiæ lux, evanescunt, ita ut animos nescio quis invadat mœror atque tristitia, videaturque christiana religio veteris Romæ ruinam confecisse. Tum prodit sanctus Augustinus qui priscorum hominum desideria ut consoletur, alium splendorem et illum meliorem majoremque afflictis hominum animis ostendere ac celebrare aggressus est. Ædificatur ab eloquenti sacerdote civitas illa divina, terrestri civitate pulchrior et magnificentior; apparet lumen aliud : o meliorem imperio romano potentiam! o majus fortiusque regnum! o civitatem « quæ non fortuitis motibus ani- « morum, sed plane summæ dispositione Providentiæ

« super omnium gentium litteras, omnia sibi genera « ingeniorum humanorum divina excellens auctori- « tate subjecit [1]. » Magnum quidem opus, cujus, licet eas mysticas fidei nascentis opiniones ardentius interdum quam sagacius profiteatur, magnificam descriptionem, novitatemque doctrinarum haud nimium mirabere; præsertim cum causa hic sublimior agatur quam quæ a sancto Justino, Tertulliano, cæterisque christianæ fidei defensoribus hactenus acta est, cumque res major facta non tantum audaces et facundos quosdam christianorum patronos, sed philosophiam doctrinamque de gubernatione Dei suscitaverit. Dum vero hoc propositum persequitur Augustinus, quid mirum si, in tanta rerum abundantia, colluctantibusque duabus civitatibus, aliqua confusio legentem impediat. Ex tot igitur ambagibus eruendum est, quid Augustinus de Providentia novum docuerit.

IV.

Duo principia ex tota Augustini disputatione mihi posse colligi videntur, unum jam antea notum, scilicet esse Dei providentiam quæ res humanas administret cujusque judicio bonos remunerari, malos puniri necesse sit, alterum nulli antea suspicatum quodque tum primum in lucem prodit, Deum scilicet non solum præsenti judicio malos punire et

[1] *De Civitate Dei*, lib. XI, c. 1.

remunerare bonos, sed ipsam historiam, id est totam eventorum seriem longinquis iisdem et certissimis semper consiliis ad finem quemdam æterne præstitutum regi et gubernari. De quibus singulatim jam dicendum est.

§. 1. Non ita novum est quidquid Augustinus de præsenti Providentia scripsit. Jam apud veteres res fere confecta fuerat. Nam cum alii, inter philosophos, deos incuriosos negligentesque rerum humanarum crederent, alii vero eos ut providentes curantesque mortalia celabrarent, utrinque jamdudum rem studiose disputatam reperimus. Quod quidem præsertim apud Ciceronem videre est, qui, dum de natura deorum eloquentissime disserens, plurima nobis de imminuta magis ac magis pagani cultus auctoritate detexit, Velleium Balbum Cottamque disputantes introducit, hunc Epicuri, alterum stoicorum, tertium vero academicorum doctrinis, addictum. Concedit Velleius deos esse, sed humana curare negat; affirmat stoicus et deos esse et, quoniam sunt, administrare mundum rebusque humanis consulere; contra quos academicus Cotta, quem Ciceronem ipsum licet dissimulantem quidam putavere, gemina disputatione reclamat.

Hac igitur in disputatione de natura deorum, licet stoici magna et mirabilia multa de deorum, operibus et administratione proferant, licet gratissimis laudibus deos totius mundi conditores celebrent et christiano fere sermone, quem serius Fenelo noster rursus usurpabit, res terrestres cælestesque, terram,

aerem, stellas, immensi orbis ordinem et ornatum enarrare studeant, tamen Velleius et Cotta, scilicet epicurei et academici, mihi meliorem causam, utpote pagani, egisse videntur, eosque in hoc certamine vicisse libenter dixerim. Quid enim respondere possit Balbus, si Cotta deos res humanas curare negans, hunc Telamonis versum recitet :

Nam si curent, bene bonis sit, male malis : quod nunc abest.

Si hunc versum, inquam, recitet, exemplisque, quorum profecto nimis multa in promptu sunt, confirmare velit? Nihil, credo, respondebit. Hanc enim objectionem tunc tantummodo refellere licebit, cum mutatæ fuerint hominum de felicitate aut miseria opiniones, cum mali et boni notionem falsam in animis nostris nos informare, et ea quæ ex universis Providentiæ legibus procedunt non in singulari casu mutanda nec pro malis habenda esse cognoscemus. Donec enim ea vigebit judicandi ratio, credet deos rebus humanis consulere qui bonos viros remuneratos, malos, ut decet, castigatos viderit, negabit vero eos humana curare qui exemplum aliquid contrarium afferet : hæc erit paganis opinio, hoc declarat *illorum*, ut ait Augustinus, *poeta*, Claudianus :

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, et incerto fluerent mortalia casu.

. . . .

Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Absolvit que deos.

Hæc igitur paganorum disputatio non nisi melioris doctrinæ auxilio potest absolvi. Conficiet pendentem adhuc litem christianorum doctrina, et quod stoicus Balbus, acriter urgentibus Velleio et Cotta, sublimi sed non victrici ratione monstraverat tantum, verius christiani evincent.

Hanc primo solutionem afferre potuit Augustinus quam christiana fides docet, bonum scilicet malumque non ea esse quæ nobis fingimus, et dum in hoc mundo non semper vitio ac virtuti sua dari merces possit, serius in alia civitate pœnas et præmia justissimo judicio distributum iri. Primum enim, inquit, si his in terris eadem sæpe beneficia et impiis et bonis a Deo conferuntur, cur id evenit nisi quia ea munera ab eo præbita sunt « qui quotidie facit oriri solem « suum super bonos et malos et pluit super justos et « injustos [1] ? » Præterea si bonus mala quædam patitur, non iis illum puniri credamus, quippe cui nulli sit pretii hæc temporalis vita, merces autem vera in alio mundo exspectetur; cum mali contra felicitate sua corrumpantur, iidem infelicitate puniuntur. Quod si bonis eæ quæ dicuntur adversæ res aliquem dolorem afferunt, unde velut injustam pœnam perpeti videntur, hinc oritur dolor quod nimis amant temporalem vitam, nec jam adeo injusta est ea pœna quam patiuntur. Ex his multisque aliis locis colligitur eam primo fuisse Augustini responsionem, hoc in mundo nec bonum nec malum esse, nec adversas

[1] *De Civitate Dei*, lib. I, c. 8.

res nec prosperas, felicitatem vero et miseriam in suprema demum vita, et hic quidem pro justa portione, nos manere.

His dictis quæ primum dicenda erant, contingere quoque potest ut præsenti judicio Deus virtutes remuneret. Non solum enim est Deus æternæ civitatis regnator, « in ejus quoque potestate sunt regna « terrena [1]. » Solus ille terræ imperia regit, gubernat, hominibusque, sicut ipsi placet, partitur. Qui potentiam Assyriis suam, qui Persis dedit, idem ille verus Deus Romæ orbis imperium concessit, « quando voluit et quantum voluit [2]; » nec eam gloriam quam assecuti sunt Romani, Dei remunerationem fuisse negandum est. Moribus enim suis, paupertate, fortitudine, patriæ libertatisque studio, « meruerunt ut « Deus verus, quamvis non eum colerent, eorum au- « geret imperium [3]. Non est quod de summi et veri « Dei justitia conquerantur : perceperunt mercedem « suam. [4]. » Sed recordandum semper non absolutam esse his in terris Dei remunerationem, ideoque imperium nunc bonis, nunc impiis, Vespasiano et Domitiano, Juliano et Constantino, dari posse [5].

Hæc Augustinus et quædam alia de præsenti Dei providentia et judicio censuit, quæ his duobus præ-

[1] *De Civitate Dei*, lib. V, c. 12.

[2] *Ibid.*, c. 21.

[3] *Ibid.*, c. 12.

[4] *Ibid.*, c. 15.

[5] *Ibid.*, c. 21.

ceptis continentur, primum veram felicitatem miseriamque non in hac vita recte judicari posse, sed in suprema vita tantum suas cuique mercedes distributum iri; postremo Deum, licet hac in terrestri vita non continuis certisque judiciis suas cuique partes concedat, tamen imperia regere, ac, sive virtutes aliquas remuneret, sive consilium quid hominibus ignotum sequatur, omnia ejus judicio administrari. Dicebat Polybius, firmissimique post eum Romanæ historiæ scriptores, nihil in humanis rebus valere nisi virtutem, prudentiam in consulendo, in agendo fortitudinem, in perseverando patientiam; hic ab Augustino novum aliquid additur, non profecto fortuna et casus quem servire humanæ industriæ optime dixerunt veteres, sed Dei remuneratio. At illud tantum dixit Augustinus quod simplicissima christianorum fides etiam indoctis aperit, et nihil fere nisi de medio sumptum in hac disputatione attulisset, nisi sublimiorem hanc excogitasset doctrinam ad quam nunc veniamus necesse est.

§. 2. Apparet tunc primum apud Augustinum doctrina illa, cui quidem si fides adhibenda est, non modo Deus bonos malosque præsenti judicio judicat, præsentique imperio terrena regna hominibus partitur, sed, quod majus novumque omnino est, longam gubernat historiæ seriem, consiliisque certis ad finem quemdam longius prævisum præparatumque humanas res deducendas curat.

Magna quidem res est hanc doctrinam in lucem

prodidisse; sed si hoc evolvere, si hanc doctrinam explicare velimus, si ostendere aggrediamur quæ sit ea summæ Providentiæ gubernatio, quem rebus humanis finem assignaverit, quibus viis ad eum finem res terrenas deduxerit, si consilia ea, inquam, scrutari audeamus, *hoc opus, hic labor est;* nec mirum profecto est quod primus illius doctrinæ repertor in ea evolvenda defecerit, cum et ipsi recentiores philosophi, qui hoc opus tentavere, licet melioribus auxiliis innixi, operam tamen humanis viribus fortiorem aggressi videantur.

Quæ est enim Augustini de toto historiæ humanæ progressu sententia? Quorsum tot exitia, tot gentium mutationes tendunt? Quis est tot eventis propositus finis? Duæ sunt in hoc mundo civitates, altera terræ, altera cœlorum. Civitas est terrestris longa illa imperiorum series, urbes, populi, qui terræ vicissim dominati sunt, cœlum vero semper, si dicere licet, nesciverunt, cum superstitionibus addicti, falsos tantum deos coluerint. Civitas Dei duplex est, quippe quæ et in sedis æternæ stabilitate a vero Deo constituta sit, et in hoc temporum cursu inter impios peregrinetur. Unde consequitur nihil aliud in hoc mundo agi nisi duarum civitatum colluctationem, nullumque alium rebus humanis esse impositum finem, nisi ut civitas Dei paulatim accrescat, dumque terrena imperia sibi invicem succedunt, sublimiusque evecta gravius deinde corruunt, illa humilitate sua semper augeatur. Perplexas

mixtasque videt in tempore duas eas civitates, sed semper facillime agnoscendas[1] : primaque ab origine exordia profectusque duarum civitatum repetens, eas etiam in cœlo ante hominem creatum inter fidos rebellantesque angelos incepisse putat[2]. Hanc quoque divisionem significant inter primos homines Cain et Abelus[3], Ismael et Isaac[4]. Incipit cum Abrahamo civitas Dei manifestius apparere[5], donec a Davidis temporibus usque ad Christum natum semper magis ac magis progrediatur[6]. Informatur interea crescitque terrestris civitas, duobus præsertim imperiis, Assyriorum scilicet et Romanorum, illustrata[7]. Surgunt eodem tempore falsa numina, superstitiones, religionum impiarum antiqua rudimenta quæ apud Varronem reperire est[8]; sicut in civitate Dei prophetæ, Moyses, David, florent in hac terrestri civitate theologi poetæ, Orpheus, Musæus, Linus[9]; tamdem humilis diu atque hominibus ignota, in lucem prodit cum Christo civitas Dei, civitatemque terrenam invadere

[1] *De Civitate Dei,* lib. XI, c. 1.

[2] *Ibid.,* loc. cit.

[3] *Ibid.,* lib. XV, c. 1.

[4] *Ibid.,* lib. XV, c. 2.

[5] *Ibid.,* lib. XVI, c. 12 *et seq.*

[6] *Ibid.,* lib. XVII, c. 20 *et seq.*

[7] *Ibid.,* lib. XVIII, c. 2.

[8] *Ibid.,* lib. XVIII, c. 12, 13.

[9] *Ibid.,* lib. XVIII, c. 14.

ac subjicere aggreditur[1]. Quæ quidem ambæ civitates, si ita fata quæque sua habuerint, hoc profecto fieri debuit, cum quæque aliam originem habuerit, aliudque sibi bonum, alium finem proposuerit. « Fecerunt enim, ait Augustinus, amores duo : terrenum, « scilicet amor sui usque ad contemptum Dei; cælestem vero, amor Dei usque ad contemptum sui[2]. » Finis quoque non idem utrique proponitur, nam terrena civitas philosophorum opinionibus adhibens fidem, summum bonum sive in animo, sive in corpore, sive in utroque ponit, id est sive virtutem, sive voluptatem, sive utriusque societatem celebrantes sequitur, unde omnes constat terrenæ civitatis philososophos in hac præsenti vita bonorum malorumque finem esse existimavisse. Respondet vero cælestis civitas ultra hanc nostram hodiernam vitam fines bonorum ac malorum constitui debere, summumque bonum vitam æternam, summum malum æternam mortem futuram esse.

Hæc est sancti Augustini quasi per summarium explanata de rebus historicis opinio. In qua quid deficiat satis patet, nam etsi elocutioni ignoscas quæ, sicut labentis latinitatis temporibus fere factum est, cum verbis ludens et quodam figurarum concursu illecta, ultra sententiam veram sæpissime progreditur, Cainumque Abelo, ut exemplo utar,

[1] *De Civitate Dei*, lib. XVIII, c. 50.
[2] *Ibid.*, lib. XIV, c. 28.

plus ludo quodam verborum quam pro rei utilitate, opponere gaudet, quod a proprio historiæ sermone maxime abhorret, etsi, inquam, hæc et alia indulgentius obliviscaris, severam certe aliquam doctrinam æque possimus ab auctore poscere. Quid autem aliud nobis occurrit nisi confusa admodum duarum civitatum adumbratio? Nihil hic terminatum, aut certe delineatum; videturque mihi Augustinus magno quodam ingenii simul atque fidei nisu, magnam de historia doctrinam concepisse, sed quæ tantum confici poterat, cum multa post sæcula novo lumine hominum animi lustrarentur.

Duæ enim res, duo auxilia, ad tantum opus absolvendum, non dico utilia, sed necessaria esse existimem: primum scilicet, ut scriptor ille qui divinam in rebus humanis gubernationem detegere aggreditur, longam sæculorum seriem interrogare possit, multisque collatis exemplis, multis casibus comparatis, veram legem qua hæc omnia reguntur, certius, si quid in his rebus certum est, suspicatus fuisse censeatur. Quod quidem Augustino defuit auxilium. Quatuor tantum sæcula effluxerant, ex quo civitas illa divina cum terrestri civitate colluctaretur, nec scriptori licuit firmiora argumenta consilio suo adhibere.

Sed aliud quoddam magis graviusque Augustino defuisse mihi videtur, mens scilicet tranquilla, animus sui et doctrinæ suæ compos, qui non, tanquam si causam diceret, adversantes vehementer redarguere velit, sed doctrinam omnibus acceptam et quasi

triumphantem celebrare possit. Volumus enim ut qui ad eam historiæ supremam legem animum suum erigere tentat, quasi judex humanarum rerum stet, sæculaque omnia, immota mente, ad certum ordinem evolvat. Quod inprimis necessarium est si christianæ doctrinæ innitatur scriptor. Ea est enim muneris hujus magnitudo ut Dei ipsius de rebus humanis judicium pronuntiare videatur, totamque historiæ rationem, mutationum leges, supremumque finem non humana diligentia inquirere, sed certissima ac vere divina scientia cognoscere videatur. Ad hanc vero ingenii placidam majestatem quomodo sese tollere potuisset Augustinus, dum christianam religionem adversus ultimos paganorum defensores acriter tueri cogitur? Potuit ne efficere ut suo operi alia indoles, alia pulchritudo contingeret, quam ea quæ in causis dicendis cernitur? Quod autem hanc suis libris formam dederit, bene consulendum esse crediderim; his enim in scriptis velut inconditis, in hoc tanto sermonis tumultu, ipsam istius sæculi imaginem deprehendimus, colluctantes eminus hostes cernimus, provocantur philosophi, dies dicitur platonicis, antiquæ sapientiæ propugnatores ante sancti Augustini tribunal vehementer adducuntur; videmus denique propositum Augustini, ejusque libri originem quam ipse his verbis declaravit: « Interea Roma Gothorum irruptione, agen-
« tium sub rege Alarico, atque impetu magnæ cladis
« eversa est: cujus eversionem deorum falsorum mu-
« torumque cultores, quos usitato nomine paganos vo-

« camus, in christianam religionem referre conantes, « solito acerbius et amarius, Deum verum blasphemare « cœperunt. Unde ego exardescens zelo domus Dei, « adversus eorum blasphemias vel errores, libros de « civitate Dei scribere institui [1]. » Apparet igitur hoc in libro ipsa societatis imago. Narrantur recentes Romanorum clades aut victoriæ. Memoratur dies ille quo, mœnibus eversis, furentibusque per vias urbis Barbarorum agminibus, pepercerunt tamen sacris ædibus Barbari, omnesque christiani simul ac pagani in Apostolorum basilicas confugientes, a Christo illo servati sunt qui et suos et alienos brachiis suis amplectitur [2]. Jactatam audimus recentem eam Rhadagasii Gothorum regis cladem, qui, dum in vicina urbis cum infenso exercitu constitutus, urbi excidium minaretur, clamitantibus undique paganis Gothorum regem diis sacrificare, se vero quod eadem his diis sacra jam non ferrent, profecto vincendos esse, tamen uno die ac tanta celeritate victus est, ut eum ab ipso Christo, ait Augustinus, et veluti nutu summæ majestatis oppressum fuisse credendum sit [3]. Sic urget indesinenter adversantes paganos acer ille et eloquens christianæ fidei patronus. Nihil hoc certamine pulchrius, nihil ardentius, et si intimam hujus ætatis intelligentiam desideres, nihil profecto gravius. Sed ubi illa in explicanda rerum humana-

[1] *Sancti Augustini Retractationes,* lib II.

[2] *De Civitate Dei,* lib. I, c. 1.

[3] *Ibid.,* lib. V, c. 23.

rum historia majestas! ubi illa philosophiæ sublimitas, quæ, dum Dei consilia detexisse sibi confidit, ipsum quasi judicium summæ Providentiæ pronuntiare videtur? hæc omnia, quæ sibi hæc doctrina poscit, non apud Augustinum reperias. Certamen ei cum paganis fuit, et dum acriter luctatur subitam visus est quamdam lucem prospicere, sublimem de summa Dei gubernatione doctrinam suspicatus est, sed nec ei nec hisce sæculis eam persequi et explicare concessum fuit, expectandumque erat donec, longo post tempore, et confirmata jamdudum christianæ fidei victoria, novissimus ille Ecclesiæ pater, supremam judicis majestatem assecutus, rude et imperfectum Augustini consilium absolveret.

V.

Quæ apud Augustinum exoriri nobis visa est de gubernatione Dei doctrina, mox tanquam lux incerta evanescit. Urget enim christianos scriptores defendendæ religionis necessitas, et dum contra paganos vehementer invehuntur, non ea animi tranquillitate fruuntur qua tamen opus est ut ad eam philosophiam sese mens attollere possit. Nihil novum affert rei expendendæ Paulus Orosius, sed hanc tantum sibi operam proponit, ut quæ Augustinus ad redarguendos paganos dixerat, historiæ exemplis confirmet. Dixerat Augustinus : « Promiseramus ergo, quædam « nos esse dicturos adversus eos, qui romanæ reipu- « blicæ clades in religionem nostram referunt, et

« commemoraturos, quæcumque et quantacumque « occurrere potuissent, vel satis esse viderentur, « mala, quæ illa civitas pertulit, vel ad ejus imperium « provinciæ pertinentes, antequam eorum sacrificia « prohibita fuissent.... [1] » Hoc idem fuit Pauli Orosii propositum, aut, ut verius dicam, Augustini propositum Orosius exsecutus est; nam quod Augustinus hic et illic, pro causæ suæ utilitate, commemoraverat, Orosius, continuata temporum serie, narrare aggressus est. Hoc igitur est ejus universalis historiæ peculiare signum ut nulla in ea requirenda sit nova doctrina de ea, quam persequimur, historiæ philosophicæ scientia, nihilque aliud reperiamus nisi christianæ religionis contra paganos obtrectatores defensionem diligentissimam.

Missus fuerat in Africam Orosius, anno circiter 413, ab Eutropio Pauloque, Hispaniæ episcopis, Augustini sententiam de quibusdam hæreticorum erroribus sciscitaturus. Cum vero Augustinum tunc temporis opus id detineret de Civitate Dei, cujus jam decem libros in lucem ediderat [2], socium sibi Orosium adciscere curavit, qui ingenio vigil, ut ipse de Orosio dixit, paratus eloquio studioque

[1] *De Civitate Dei*, lib. IV, c. 2.

[2] « Maxime cum reverentiam tuam, perficiendo adversum hos ipsos paganos undecimo libro insistentem (quorum jam decem orientes radii, mox ut de specula ecclesiasticæ claritatis elati sunt, toto orbe fulserunt), levi opusculo occupari non oporteret. » *Pauli Orosii historiarum procemium ad Aurelium Augustinum,* ed. franc. Fabritius Marcoduranus, Moguntiæ, 1615.

flagrans, sibi auxilium ferret, paganisque omnia imperii mala, bella, clades, pestes, religioni nova referenda clamantibus, totam historiæ seriem evolveret, et antiquissimas paganorum sæculorum calamitates omnium oculis præsentiores objiceret. « Præceperas mihi, testatur ipse Orosius, uti adver- « sus vaniloquam pravitatem eorum, qui alieni a « civitate Dei, ex locorum agrestium compitis et « pagis pagani vocantur, sive gentiles quia terrena « sapiunt : qui cum futura non quærant, præterita « autem aut obliviscantur, ant nesciant, præsentia « tantum tempora veluti malis extra solitum infe- « stissima, ob hoc solum, quod creditur Christus, et « colitur Deus, idola autem minus coluntur, infa- « mant : præceperas ergo, ut ex omnibus, qui haberi « ad præsens possunt, historiarum atque annalium « fastis, quæcunque aut bellis gravia, aut corrupta « morbis, aut fame tristia, aut terrarum motibus « terribilia, aut inundationibus aquarum insolita, « aut eruptionibus ignium metuenda, aut ictibus « fulminum plagisque grandinum sæva, vel etiam « parricidiis flagitiisque misera, per transacta retro « sæcula reperissem, ordinato breviter voluminis « textu explicarem.... [1] » Hæc est igitur Orosii perpetua cura ut tristissima narret hominum fata, cum hoc in primis probare velit, non solummodo præsentes miserias christianæ religioni non imputandas, sed nunquam teterrimis calamitatibus genus

[1] *Paul. Oros.*, loc. cit.

humanum caruisse, illique quam incusant christianæ fidei multa deberi bona, pacem scilicet ab ea allatam esse, sedatos hominum animos, repressas libidines : « Nactus sum enim præteritos dies non « solum æque ut hos graves, verum etiam tanto « atrocius miseros, quanto longius a remedio veræ « religionis alienos : ut merito hac scrutatione cla- « ruerit, regnasse mortem avidam sanguinis, dum « ignoratur religio, quæ prohiberet a sanguine : ista « illucescente, illam constupuisse : illam concludi, « cum ista jam prævalet : illam penitus nullam « futuram, cum hæc sola regnabit [1]. » Quidquid igitur tristissimum in rebus humanis et miserrimum est, avide inquirit Orosius, diligenterque amplificat; ita ut ei nihil aliud sit humani generis historia, nisi miseranda quædam calamitatum narratio. Sive in Asiam apud antiquas civitates, sese convertat, sive ad Romam redeat, sive varias imperii romani partes inspicere velit, non res publicas, non fortunæ casus, non gloriam, non eventorum magnitudinem interrogare et explicare tentat. Nihil ei agendum aut inquirendum superest, si tristia omnia, bella, incendia, pertes, memoravit. Paulatimque fit, dum hæc tantum miserrima fata in historia detegere cupit, ut ipse sibi persuadeat hunc verum esse historiæ aspectum, et tanta, quam finxit, rerum tristitia ipse terreatur. Quem quidem animi terrorem vehementer expressit, cum diceret : « Quorum ego tumultuosis-

[1] *Paul. Oros. procœmium.*

« simum tempus ita mihi spectare videor, quasi ali-
« qua immensa castra per noctem de specula montis
« aspectans, nihil in magni campi spatio præter
« immensos focos cernam [1]. » Et alio etiam loco :
« Ad hæc, non Romæ non tantum talia gerebantur,
« sed quæque provincia suis ignibus æstuabat : et
« quod poeta præcipuus in una urbe descripsit, ego
« de toto orbe dixerim :

« Crudelis ubique
« Luctus, ubique pavor et plurima mortis imago [2]. »

Hoc Orosii consilium quale fuerit manifestius etiam apparet, si ejus historiam istis fontibus conferre velis unde res enarrandas hausit. Cum enim in Asiæ et Macedoniæ historia Justinum præsertim et Eusebium, in romana historia Titum Livium secutus fuerit, res sæpe gravissimas omittit, si modo cum aliqua hominum vel gloria vel felicitate conjunctæ sint, sed si qua pestis exarserit, si quid mali in aliquo orbis loco evenerit, subito arripit, hisque evolvendis flebiliter delectatur. Quod præsertim in tertio libro deprehendas, quem de septimo Titi Livii libro deprompsit. Interdum etiam, si quam Titus Livius calamitatem memoret, videre est quanta cura Orosius rem paucis verbis a Livio narratam luctuoso sermone augeat et amplificet. Ut puta quum Titus Livius : « Multis rebus lætus annus vix ad solatium

[1] *Paul. Oros. histor.* lib. III, c. 23.
[2] *Oros. histor.* lib. II, c. 5.

« unius mali, pestilentiæ urentis simul urbem atque « agros suffecit; portentoque jam similis clades « erat [1]. » Orosius contra : « Sed, ut sæpe dictum « est, semper Romanorum aut domesticam quietem « extraneis bellis interpellatam, aut externos eventus « morbis interioribus aggravatos, tantum, ut omni- « modis ingentes animi undecumque premerentur. « Hanc cruentam tristemque victoriam pestilentia « civitatis oneravit, et triumphales pompas obviæ « mortuorum exequiæ polluerunt. Nec erat cui de « triumpho gaudium suaderetur, cum tota civitas « aut ægris suspiraret aut mortuis [2]. »

Quid plura? non tam Orosius historiam mihi scribere videtur, quam pro christiana fide causam fortiter dicere. Ob id ipsum vero et vituperandum et laudandum opus crediderim, quod nempe si verum historiæ spectaculum non refert, sinceram certe et candidam ipsius sæculi quo Orosius scripsit imaginem exprimit; nec profecto sine quodam animi motu legendum est, quoties Orosius ad ætatem suam convertitur. Dixerat Augustinus : « Quæ rabies extera- « rum gentium, quæ sævitia barbarorum huic de « civibus victoriæ civium comparari potest? Quid « Roma funestius, tetrius, amariusque vidit? Utrum « olim Gallorum et paulo ante Gothorum irruptio- « nem, an Marii et Syllæ, aliorumque in eorum « partibus virorum clarissimorum, tamquam suorum

[1] *Titi Livii histor.* lib. X, c. 47.

[2] *Oros. histor.* lib. III, c. 21.

« luminum in sua membra ferocitatem [1]? » Hæc optime apud Augustinum disputata; sed magis moveor cum in historiæ cursu gradum subito sistens Orosius, narratisque Gallorum et Brenni irruptionibus, territos ab imminentibus Barbaris et adversus Romam grassantibus cives suos ut consoletur, exclamat: « Ita autem quotiescumque Galli exarserunt, totis « opibus suis Roma detrita est, ut sub præsenti « nunc concursatione Gothorum magis debeat me- « minisse Gallorum [2]. »

Continuus ille Orosii ad ætatem suam respectus non tantum delectatione aliqua nos legentes movet, et quidquid in his libris falsum aut puerile est, quasi corrigere valet, sed graviores interdum scribenti cogitationes videtur inspirare. Postquam enim tot mala, tot bella, tot calamitates longius enarravit, hisce inquietis temporibus pacem eam opponere gaudet, qua tum primum regnante Augusto frui potuit orbis terrarum [3]. Dicere non dubitat hanc mundi quietem adventui et regno Jesu-Christi famulatam fuisse [4]. Et si raro apud eum scribendæ historiæ artem et scientiam laudaveris, eloquentiam certe ei non deesse fateberis, cum narrat, ut uno tantum exemplo utar, Augustum, ludos spectantem, domini nomine a populo salutatum, hanc adulationem repu-

[1] *De Civitate Dei*, lib. III, c. 29.
[2] *Oros. histor.* lib. III, c. 22.
[3] *Ibid.*, lib. III, c. 8.
[4] *Ibid.*, lib. VI, c. 22.

lisse, additque : « Eodemque tempore hic ad quem « rerum omnium summa concesserat, dominum se « hominum appellari non passus est, imo non ausus, « quo verus Dominus totius generis humani, inter « homines natus est [1]. » Cum ad Romanos convertitur, etiam nunc falsis suis religionibus implicitos, exclamat Christum civem esse romanum, romano censui ascriptum; in gaudium nescio quid exardet, dicens : « Nec dubium, quin omnium cognitioni, « fidei, inspectionique pateat, quod dominus noster « Jesus-Christus hanc urbem nutu suo auctam de« fensamque, in hunc rerum apicem provexerit, cujus « potissime voluit esse, cum venit, dicendus utique « civis romanus, census professione romani [2]. » Et si quis dicat non vere eam esse christianam vocem, Orosiumque non supremum illud bonum a religione nova hominibus allatum celebravisse, scilicet Deum non unius civitatis, ut antea, civem, sed totius orbis regem ac patrem, omnesque homines arcta cognatione devinctos, reperias tamen apud Orosium rem aptissime explicatam, nec affirmare dubitaverim pulcherrimum esse illud libri quinti caput, quo novi temporis bona celebrantur, una scilicet in toto orbe patria, una civitas, una religio; quoquidem nescio an aliquid pulchrius apud primos ecclesiæ doctores de ista christianæ fidei universa (si liceat barbare, dum christiane, loqui,) fraternitate cogi-

[1] *Oros. histor.* lib. VI, c. 22.

[2] *Ibid.,* lib. VI, c. 22.

tatum sit. Hæc mihi transcribere liceat : « Mihi autem « prima qualiscumque motus perturbatione fugienti, « quia de confugiendi statione securo, ubique pa- « tria, ubique lex et et religio mea est; nunc me « Africa tam libenter excepit, quam confidenter « accessi : nunc me, inquam, ista Africa excepit « pace simplici, sinu proprio, jure communi : de « qua aliquando dictum, et vere dictum est :

« Hospitio prohibemur arenæ,
« Bella cient, primaque vetant consistere terra :

« nunc ultro ad suspiciendos socios religionis et pa- « cis suæ, benevolum late gremium pandit, atque ul- « tro fessos, quos foveat, invitat. Latitudo orientis, « septentrionis copiositas, meridiana diffusio, ma- « gnarum insularum largissimæ tutissimæque sedes « mei juris et nominis sunt : quia ad christianos et « Romanos, Romanus et christianus accedo. Non « timeo deos hospitis mei, non timeo religionem « ejus nece mea[1] : non habeo talem quem pertimes- « cam locum, ubi et possessori liceat perpetrare « quod velit, et peregrino non liceat adhibere quod « convenit : ubi sit jus hospitis, quod meum non « sit. Unus Deus, qui temporibus, quibus ipse inno- « tescere voluit, hanc regni statuit unitatem, ab « omnibus et diligitur et timetur. Eædem leges, « quæ uni Deo subjectæ sunt, ubique dominantur : « ubicumque ignotus accessero, repentinam vim tan-

[1] *Necem meam*, edit. Haverkamp.

« quam destitutus non pertimesco. Inter Romanos, « ut dixi, Romanus, inter christianos, christianus, « inter homines, homo, legibus imploro rempubli- « cam, religione conscientiam, communione natu- « ram. Utor temporarie omni terra quasi patria : « quia quæ vera est, et illa, quam amo patriam in « terra penitus non est. Nihil perdidi, ubi nihil « amavi, totumque habeo, quando quem diligo, me- « cum est. Maxime quia et apud omnes idem est, qui « me non modo notum omnibus, verum et proxi- « mum facit; nec egentem deserit, quia ipsius est « terra et plenitudo ejus, ex qua omnibus omnia « jussit esse communia. Hæc sunt nostrorum tem- « porum bona, quæ in totum, vel in tranquillitate « præsentium, vel in spe futurorum, vel in præsa- « gio communi non habuere majores : ac per hoc « incessabilia bella gesserunt, quia mutandarum se- « dium communione non libera, persistendo in « sedibus suis, aut infeliciter necati sunt, aut tur- « piter servierunt [1]. »

Hæ sunt Pauli Orosii in hoc tanto opere partes, qui nihil aliud egit, nulli rei operam dedit, nisi ut Augustini propositum exsequeretur, probaretque, quod paganis quidem demonstrandum erat, non temporis præsentis calamitates ultionem esse Deorum credendas, nullamque ætatem hisce malis liberam fuisse, et dum Augustini sæpissime vestigiis incedit, nonnulla interdum altius cogitata non sine ardenti

[1] *Oros. histor.* lib. V, c. 2.

quodam veritatis amore expressit. Apud eum nec apta rerum humanarum narratio, nec doctrina quædam de universa historia aut de ea, quam Augustinus suspicatus est, Dei gubernatione, reperienda est; non vero inutilis fuit ejus labor, cum primus hic sit liber in quo sacra et profana historia, hucusque separatæ, conferri et in unum coire inceperint; ac licet Orosius non absolutum prorsus opus scripserit, exemplum tamen dedit quod sequentibus sæculis acceptum, vestigium quoddam universæ historiæ in media, quam vulgo dicimus, ætate servavit, donec imperfectum nascentis ecclesiæ laborem scriptor noster conficiat et exsequatur.

VI.

Quam defenderant Augustinus Orosiusque adversus paganos summi Dei providentiam, mox et adversus christianos defendenda fuit. Scilicet viginti fere annis post scriptam ab Orosio mundi historiam, non jam pagani tantum sed et ipsi christiani, in Galliis presertim, crebras barbarorum irruptiones malaque quibus humi affligebatur imperium lugentes, impie in Providentiam invehebantur; et sicut Augustinus et Orosius adversus christianæ fidei obtrectatores causam summi Dei egerant, sic Salvianus episcopus Massiliensis, christianos ipso jam dubio laborantes recreare conatus est. Libri igitur octo quos *de Gubernatione Dei et de justo Dei præsentique judicio* inscripsit, ad eam informandam, quam

quærimus, philosophicæ cujusdam historiæ scientiam multum contulere. Nam licet in Augustino magis, ut mihi videtur, philosophus, in Orosio historicus et temporum omnium narrator eminuerit, in Salviano autem christianus orator qui nullum aliud sibi consilium proponit, nisi ut ignaros doceat, labantes civium animos erigat, vitia ac pessimam populorum vitam acriter vituperet, licet, inquam, eæ sint cuique partes, Salvianique labor minus ad propositum nostrum conferre utilitatis videatur, non nihil tamen egit is qui Providentiæ doctrinam iteratis sermonibus annuntiatam tam firmiter hominum animis infixit.

Hæc est enim totius operis materia. Scribit de Deo et, sicut ipse confidenter dixit, *Dei negotium agit* Salvianus [1]. Primo et altero libro divinam providentiam tantopere ab omnibus incusatam semper præsentem vigilantemque ostendere vult, et cum ipsi christiani minus jam fidei divinis rebus adhibeant, eos non tantum religionis christianæ præceptis refellere tentat, sed philosophorum quoque paganorum argumentis convincere aggreditur. Sic igitur incipit : « Incuriosus a quibusdam et quasi ne-« gligens humanorum actuum Deus dicitur, utpote « nec bonos custodiens, nec coercens malos, et ideo « in hoc sæculo bonos plerumque miseros, malos « beatos esse. Sufficere quidem ad refellenda hæc, « quia cum christianis agimus, solus deberet sermo

[1] Cujus negotium agimus. *De Gubernatione Dei*, lib. II, c. 6.

« divinus. Sed quia multi incredulitatis paganicæ « aliquid in se habent, etiam paganorum forsitan « electorum atque sapientium testimoniis delecten-« tur [1]. » Inde tres potissimum res probare studet, primum scilicet præsentem Deum, in nullo loco mundi, in nullo historiæ tempore absentem, deinde mundi auctorem, denique gubernatorem esse, judicem scilicet justissimum, severum enim impiis, et innocentibus gratum.

Postquam præsentiam Dei celebravit testimoniisque Scripturarum confirmavit, quærit num Deus nobis adesse voluerit ut res humanas dedignatus, quidquid in terris evenit superbe contemneret : « Absit hoc, exclamat, de piissimo ac misericordis-« simo Deo credi ut ad hoc semper nobis voluerit « adsistere ut nos majore fastidio negligere videre-« tur adsistens. Absit hoc scelus dici..... quod ergo « etiam malo homini auferre non possumus, Deo « tollimus; et pejorem pessimis hominibus Deum fa-« cimus, qui ad hoc futurum nobiscum se esse di-« xerit ut fastidiosius nos negligeret, cum fuis-« set [2]. » Allatis denique nonnullis exemplis et Moysis verbis, Deum ubique præsentem, regentemque res humanas, eum esse profitetur qui nihil nisi cum optimo et justissimo judicio evenire sinat, dicitque : « Quid est quod in his omnibus non sit? « Vis videre rectorem? Ecce et præsentia corrigit et

[1] *De Gubernatione Dei*, lib. I, c. 1.
[2] *Ibid.*, lib. II, c. 2.

« futura disponit. Vis videre severum judicem? Ecce « noxios punit. Vis videre justum et pium? Ecce in- « nocentibus parcit. Vis videre in omnibus judicem? « Ecce ubique judicium est. Nam et ut judex arguit, « et ut judex regit. Judex promit sententiam, ju- « dex noxios perimit, judex innoxios muneratur [1]. » Ita ut ex illa disputatione conficiatur Deum, ut ipse sæpius scribit, et contemplatorem sollicitissimum et gubernatorem piissimum et justissimum judicem esse.

Hæc est totius operis quasi præparatio. Qua defunctus, ad præsentia temporis sui mala festinat, objectionibusque contra justam Providentiam allatis respondere vult, quarum hæc in isto sæculo frequentius proferebatur : « Cur melior multo sit barbarorum « conditio quam christianorum; cur inter hos ip- « sos quoque sors bonorum durior quam malorum. » Talia querentibus respondere potest, ut ipse declarat : « Homo sum, non intelligo, secreta Dei in- « vestigare non audeo et ideo etiam attentare formi- « do : quia et hoc ipsum genus quasi sacrilegæ « temeritatis est, si plus scire cupias quam sina- « ris [2]. » Addit tamen non prorsus vetuisse Deum nos quædam de ejus judicio cognoscere quæ detegere non dubitabit; scilicet ad propositum suum accedit, quod in hoc totum est ut christianos peccantes vehementer increpare possit. Poscunt nempe Romani cur barbaris infeliciores sint, cur a Deo de-

[1] *De Gubernatione Dei*, lib. I, c. 12.
[2] *Ibib.*, lib. III, c. 1.

relicti, cur a gentibus sacra falsa colentibus debellati. Nempe quia re ipsa pejores sunt, quia omnibus vitiis polluti, quia christianorum nihil nisi nomen habent, ac turpissimæ vitæ, quam et ipsi pagani horrent, sese dederunt. Inde liberrima illa sequitur romani luxus, vitiorum, libidinum, teterrimæ cujusque pravitatis descriptio. Galliam, Aquitaniam, Hispaniam, Africam imprimis percurrit ardens et vehemens iste vitiorum accusator; ubique socordiam, ubique ignaviam animi, effrenatas voluptates, licentiam incredibilem aspicit, ita ut clades illæ et imperii universa profligatio, quam christiani tanquam incuriosæ Providentiæ signum impie audent conqueri, judicium ipsum Dei justissimum videatur. Urbem illam increpat artibus et doctrinis nobilem, nunc ignavissimis voluptatibus deditam : Trevisensem nempe populum, oppugnantibus muros barbaris, nihil nisi libidines suas curantem; duces urbis, christianos senes, tabulæ opimæ accumbentes, urbe cras oppugnanda; et mox, vastatis non ita pridem mœnibus, plebem circenses et spectacula poscentem : « Ubi, inquit, ubi, quæso, exercenda? An super busta « et cineres, super ossa et sanguinem peremptorum [1]? » In Aquitanorum deinde corruptionem invehitur; luxuriem non populi tantum, sed et christianorum sacerdotum, luxuriem exsecrandam e Sodomo illatam, exhorret, barbaros vero castos celebrat, et tanquam judicium Dei pronuntiare et

[1] *De Gubernatione Dei*, lib. VI, c. 15.

explicare velit, exclamat : « Et miramur si terræ « vel Aquitanorum vel nostrorum omnium a Deo « barbaris datæ sint, cum eas quas christiani polluerant fornicatione, nunc mundent barbari castitate [1]? »

Heynius, ut obiter dicam, in scriptiuncula quadam [2] de ingenio et doctrinis Salviani, eam summæ Providentiæ demonstrationem, severius, nisi fallor, vituperat, cum hic disputationem philosophicam argumentaque aptius distributa nimis desideret. Considerandum enim quod jam dictum est, Salvianum non hic philosophi partes agere, sed oratoris qui sæculi sui pravitatem imprimis castigare velit. Quod vero eam doctrinam spectat, quam apud historicos quærimus, de Dei gubernatione, quis eat inficias neminem fortasse plus ad eam consecrandam contulisse quam Salvianum? illa ipsa parum philosophica, quam vituperat Heynius, malorum imperii romani explicatio, ad celebrandum Deum mundi gubernatorem magis valebat; nam etsi, ut labantis imperii totque cladium rationem redderet, eam ignaviam, eam animorum socordiam memorare potuerit, nulla alia tantorum malorum causa est nisi Deus ipse cujus judicium justissimum tam manifeste apparet. Hæc est enim doctrina quam quæque istius operis pagina refert : « Si ergo, inquiunt, respicit res humanas « Deus, si curat, si diligit, si gubernat, cur nos in-

[1] *De Gubernatione Dei,* lib. VII, c. 6.

[2] *Opuscula academica,* t. VI.

« firmiores omnibus gentibus et miseriores esse per« mittit? cur vinci a barbaris patitur? cur juri « hostium subjugari? brevissime, ut jam ante dixi, « ideo nos perferre hæc mala patitur, quia meremur « ut ista patiamur [1]. » Nullum aliud argumentum affert, una ea est demonstratio, sed quæ, toties et tam fortiter repetita, non parum proficere debuit ad confirmandam de gubernatione Dei doctrinam. Sive de præsentibus malis, sive de antiquis reipublicæ romanæ victoriis loquatur, ubique apparet constans illa in Deum providentem et judicem fides : « Scio « posse hoc loco subjici, hinc maxime probari quod « non respiciat res humanas Deus, quia cum Romani « quondam pagani et vicerint et regnaverint, nunc « christiani et vincantur et serviant. Sufficere qui« dem ad confutationem objectionis istius poterant « illa quæ dudum de cunctis fere paganis gentibus « dicta sunt, id est, magis peccare eos qui scientes « negligant legem Dei, quam qui non faciant ne« scientes. Sed tamen, si Deus annuerit, cum ad eam « negotii partem accesserimus, ut de veteribus Ro« manis aliqua dicantur, evidenter divino munere « adprobabimus tam justum tunc erga illos fuisse « Domini favorem, quam nunc erga nos justam seve« ritatem, tam dignum illud fuisse quod Romanos « tunc Deus auxilio suo extulit, quam nunc dignum « esse quod punimur.... [2] » Nullum quidem in toto

[1] *De Gubernatione Dei*, lib. IV, c. 12.
[2] *Ibid.*, lib. VII, c. 1.

opere argumentum invenias, ut sæpe apud Augustinum, de continua et longius provisa rerum humanarum ad finem quemdam administratione. Semper præsens Dei judicium, pœna aut renumeratio præsens proclamatur. Sed hanc doctrinam nusquam fortius consecratam videas; ita ut confidentissime dicere potuerit se Dei negotium egisse. Nam cum barbari Europam invaderent, mox bellis atrocibus vastandam, disciplinis omnibus spoliandam, in hoc antiquæ scientiæ naufragio eam saltem doctrinam servavit quam incipientibus mediæ ætatis sæculis transmitteret, de Dei providentia et judicio. Cum barbarorum irruptione admonitus, verba sanctarum Scripturarum recordatur : « Adducet Dominus super « te gentem de longinquo, et ungulis equorum suo- « rum omnes plateas tuas conculcabunt, et populum « tuum gladio interficient; » exclamatque : « Com- « pleta ergo in nos sunt omnia quæ dixit sermo di- « vinus, et vim verborum cœlestium luit pœna « cunctorum [1]. » Dei in regenda historia partes cognovit, et tam firmiter, iteratis veluti ictibus, in territis hominum animis impressit, ut ea doctrina, ab Augustino sublimius inchoata, in Orosii historiis recepta, mox vero barbarorum irruptionibus judicioque Dei, quod Salvianus explanavit, fortius confirmata, trans mediam ætatem ad nos pervenire potuerit [2].

[1] *De Gubernatione Dei*, lib. VII, c. 7.

[2] Addendum quoque est, ne quid omissum maneat, poetæ ignoti testimonium qui hisce temporibus carmen de divina Pro-

VII.

Cum Augustinus, Orosius, Salvianusque, illam de gubernatione Dei doctrinam, paulatim, pro suis

videntia scripsit. Cum christianis parentibus natus esset, mox libidinibus deditus, fidem suam deseruerat; sed urbe sua a Gothis, aut, ut eos vocat, a Getis capta et direpta, cum civibus suis medios inter currus prædamque abductus est. Eo tempore ad religionem christianam rediit, et paucis elapsis annis, cum istæ calamitates quibus castigatus ad meliorem frugem sese receperat, aliis argumentum fieret cur Providentiam incusarent, carmen illud scripsit quo eam, quam negabant, Providentiam celebraret.

Cum iisdem fere temporibus, quibus Salviani opus, anno scilicet 416, ut quibusdam placet (*Histoire littéraire de la France*, t. II, p. 76), anno vero 431 aut 451, si recentioribus scriptoribus fidem adhibeas (Baehr, *die Christlichen Dichter und Geschichtschreiber Roms*. Carlsruhe, 1836. S. 65) hoc carmen scriptum fuerit, haud mirum si eædem fere in eo sententiæ, quæ in Salviano, reperiantur. Incipit poeta memorans quæ sint in Providentiam querelæ :

Nec parcunt quidam turbatam incessere mentem
   Linguarum et jaculis saucia corda petunt.
Dic (aiunt) causas, qui rerum hominumque labores
   Arbitrio credis stare regique Dei :
Quo scelere admisso, pariter periere tot urbes?
   Tot loca, tot populi, quid meruere mali?
Si totus gallos sese effudisset in agros
   Oceanus, vastis plus superesset aquis.

. . . .

Quid pueri insontes, quid commisere puellæ,
   Nulla quibus dederat crimina vita brevis?
Quare templa Dei licuit popularier igni?
   Cur violata sacri vasa ministerii?

quisque viribus, explanaverint, quî igitur factum est, ut nullus inter hos scriptores historiam aliquam

Non honor innuptas devotæ virginitatis,
   Nec texit viduas relligionis amor.
Ipsi desertis qui vitam ducere in antris
   Suerant, laudantes nocte dieque Deum,
Non aliam subiere necem, quam quisque prophanus :
   Idem turbo bonos sustulit atque bonos.
. . . .

Verum hæc sub belli sileantur turbine gesta,
   Confusis quoniam non fuit ordo malis,
Forte etenim placidas res mundi, et tempora pacis
   Arbitra dignetur cernere cura Dei.
Si cunctos annos veterum recolamus avorum,
   Et quidquid potuit nostra videre dies;
Maximus injustis locus invenietur in orbe,
   Oppressis autem pars prope nulla bonis.
. . . .

Talia cum facilis vulgi sparguntur in aures,
   Quam multis rudibus lingua maligna nocet?
Nec tantus dolor est Scythicis consumier armis,
   Quantus ab infidis cordibus ista seri.
Prome igitur sanctis cœlestia tela pharetris;
   Et medicis hostem confice vulneribus.
Forte aliqui poterunt errorum evadere noctem,
   Inque viam, visa luce, referre pedem,
At ne sermo moram patiatur ab impare versu,
   Heroi numeris porrige pentametrum.

Tum, postquam contendit Deum esse, eum res humanas curare profitetur :

.... Omnem autem hanc molem qui condidit, ipse
Et regit, utque nihil non ortum sumpsit ab illo,
Sic nihil est quod stare queat, factore remoto.
Nam qui pigra Deo dant otia, credo, verentur
Ne curæ intentum vigiles durique labores
Conficiant, et tanta simul non explicet unus,

condiderit, ubi hæc rerum humanarum, Providentia regente, administratio, nec tantum judicium Dei præsens, ut ait Salvianus, sed voluntas quædam suprema res ad finem longe prævisum deducens, sublimi quodam modo appareret? Jam antea dixi primos ecclesiæ doctores maturius hoc opus aggressos fuisse, quam ut prorsus ab iis effici potuisset; duabusque præsertim de causis, rem iis difficillimam (ne

O mersi in tenebras divinique ignis inanes,
Et plus corporeis oculis quam mente videntes !
. . . .
Effluit ætas
Ac venit, et spectant genita ac gignentia finem :
Ille manet, simul acta tenens et agenda, futuris
Ulterior, tum præteritis prior : omnibus unus
Præsens, et solus sine tempore tempora condens.

Declarat demum in futura vita mercedes bonis, malis pœnas distribui, sed et in hac præsenti vita jam apparere Dei regnum justamque providentiam :

Multa tamen mundum per sæcula cuncta regentis
Justitiæ documenta dedit : dum maxima bellis
Regna quatit, dum sæpe urbes populosque potentes
Exhaurit morbis, cremat ignibus, obruit undis :
Dumque inopes ditat, dejectos elevat, auctos
Imminuit, solvit vinctos, subigitque superbos.
Nec vero hoc nisi cum magna ratione putandum est
Accidere, ut quoties iram experiuntur iniqui,
Supplicia insontes videantur obire nocentum.
Multa quidem semper mundo communia in isto
Indignos dignosque manent : sol omnibus idem est,
Idem imber, pariter subeuntur frigora et æstus.
. . . .

De Providentia divina incerti auctoris carmen, apud sancti Prosperi opp., in-fol. Paris, 1711, p. 786-824.

quid gravius dicam) fuisse existimaverim, primum quod non magnam satis historiarum seriem præ se in promptu haberent, unde aliquis ordo divinus in lucem proferretur, deinde quod contra paganos obluctari coacti materiam non tranquille et graviter, ut decebat, sed tanquam causæ suæ defensores, acrius quam diligentius tractaverint.

Addebat insuper incommodi aliquid, quod Deo forsan plus æquo tribuerent, et quidquid humanum est, prudentiam in consilio, in agendo fortitudinem, ignaviam, socordiam, causas omnes bonæ malæque fortunæ negligerent. Superius jam dictum est scriptores historiæ, apud veteres, nihil fere Deo in rebus humanis, in historiæ eventis tribuisse. Pulcherrima quidem est Polybii de tractanda historia, de intelligendis fortunæ casibus, doctrina, cum nulli auxilio, nulli superæ administrationi confidat, sed hominem tantum, scilicet animum, voluntatem, fortitudinem, in rebus terrestribus imperantem celebret. In tali explicandæ historiæ ratione, nescio quæ viget stoica virtus, qua sublimius efferuntur animi vires. Si vero nos ad totam mundi historiam convertimus, fieri non potest quin Dei partes in hoc tanto opere desiderentur, credamusque nimiam hanc esse veterum historicorum fiduciam, nimium superæ administrationis contemptum. Cum igitur quidam nascentis ecclesiæ doctores hanc de gubernatione Dei doctrinam primum introspicere sibi visi sunt, tanto lumine capti nihil jam nisi Deum in historia contemplati sunt. Humanum genus quod tantopere sibi apud Po-

lybium confidebat, ante christianorum Deum se submisse inclinavit, jura sua abjecit; ita ut scriptores illi Deo tantum divinisque rebus intenti, nullum jam sensum, nullam fere intelligentiam eventorum habuerint.

Sic profecto intelligitur quare tam imperfectum sit apud eos quidquid ad historiam proprie attinet. Laus vero illis ea debetur, quod hanc opinionem firmiter in animis hominum constituerint, scilicet imperium quoddam superius a Deo de rebus humanis exerceri; quæ sit ea administratio, quid ei concedendum sit, quæ sint denique justæ certæque divini rectoris partes, non aptissime quidem delineaverunt, nec perfecte unquam hoc humanæ menti cognoscere continget. Si quid ergo in his studiis natura incertum sit, longe incertior res apud eos erit, cum quidquid humanum sit negligatur, falsamque necessario historiæ imaginem referant. Sed hoc, inquam, eminent, quod doctrinam aliquam novam a religione christiana allatam litteris consecravere; Augustinus altiori quodam modo, dum philosophicam historiæ intelligentiam adhuc incertam sed vastis tamen lineamentis conclusam suspicatur, innumeramque eventorum humanorum varietatem velut in unum redigit, exstructis duabus illis terræ cœlique civitatibus, quæ omnem sacræ aut profanæ historiæ evolutionem comprehendunt; Orosius dum historiam omnium populorum a mundo creato enarrat, doctrinamque ab Augustino inventam, exemplo confirmare tentat; Salvianus vero dum præsentem

ubique Deum, rerumque terrestrium sollicitissimum contemplatorem ac justissimum judicem tam vehementer clamat. Licet igitur nullus inter eos opus illud ædificaverit, materiam certe ædificando attulerunt, effeceruntque, quod sane gravissimum est, ut ea doctrina, quamvis mediæ ætatis tenebris involuta, non omnino evanesceret; namque his testimoniis instructa, eam Providentiæ divinæ doctrinam servabunt sequentia sæcula, et licet in hoc studio minus profecerint, scribendæ tamen universæ historiæ semper operam dabunt. Jejuna quidem et imperfecta sunt ea historica opera quæ media ætas produxit, nec tamen adeo contemnenda sunt, cum per ea aliquid de hisce doctrinis transmissum fuerit. In libro quem scripsit Beda Venerabilis *de sex ætatibus mundi*, Augustini et Orosii vestigiis incedit, et ipse exemplum fit omnibus sequentium temporum scriptoribus, qui universam historiam scribere tentabunt, Freculpho scilicet et multis aliis quorum vix recordari nomina necesse est. Id pariter animadvertendum est apud tot *chronicorum* scriptores, qui, sive civitatis, sive regni cujusdam facta enarrent, res semper a prima origine repetentes, usque ad creatum mundum ascendunt. Quæ testimonia quantuli sint nemo profecto nescit, sed in his tamen cernimus lucem quamdam nondum exstinctam doctrinæ illius, quam ecclesiæ doctores attulerant, quæque per scriptorem nostrum factum est ut nunquam possit evanescere.

Cum enim doctrinam informaverint Augustinus, Orosius, Salvianusque, testimonium vero absolutum

non produxerint, nec facile, ut diximus, his temporibus producere potuerint, parum scilicet faventibus christianorum paganorumque disputationibus; si nunc tempus veniat quod his studiis melius favere possit, si veniat ætas jam non certaminibus turbata, quæ christianam fidem jam non adversus paganos reluctantes defendat, sed plane ab omnibus acceptam celebret, in qua denique nulla sit conditio, sicut antea, cur tale id studium deficiat, si illa, inquam, ætas venerit, surgere poterit ædificium illud cujus materiam primi ecclesiæ scriptores, pro sua quisque parte, comparaverunt; perficiet Ludovici decimi quarti ætas quod non potuit quartum sæculum, et hæc erit meldensis episcopi gloria ut inchoatum ab Augustino opus absolvat.

Ad librum igitur *de Universa Historia*, pervenimus in quo omnia mirari possumus quæ apud primos eos doctores desideravimus. Quidquid apud eos reperimus et apud auctorem nostrum reperiemus, sed quanto sublimius, quanto fortius, nec jam incerto modo delineatum, sed certissima fide et auctoritate confirmatum! Mutuatus quidem fuisse videtur ab Augustino duas quas celebrat hipponensis episcopus civitates, cum omnem historiam in duas quoque partes distribuit, quarum altera religionem, altera regna, populos, terrestria denique imperia amplectitur; submittitur, sicut apud Augustinum, divinæ civitati terrena civitas; imperat religio; hic est demum historiæ impositus finis ut perpetuo semperque crescenti triumpho, civitas illa divina, corruentibus

undique vicissim terræ civitatibus, confirmetur. Hæc est eadem amborum doctrina, sed quanto apud meldensem episcopum sublimior! Hoc ab Augustino imitatus est, sed quanta ingenii vi rem sibi propriam fecit, quam ab antiquo doctore transmissam acceperat! Latent enim interdum apud Augustinum eæ sententiæ, multis et inconditis sæpius ornamentis involutæ, quæ in libro *de Universa Historia* materiam omnem amplectuntur. Jacebant hinc inde apud Augustinum lapides, marmor, æs et aurum : nunc ædificata domus apparet.

Ab Orosio exemplum universæ historiæ scribendæ accepit, per mediam ætatem jam transmissum. Nec dicere quidem necesse existimo, quantum in hac narratione omnes antecessores suos superaverit. Non enim minus miranda mihi prima pars videtur, quam secunda illa et tertia pars, quibus religio et imperia cum tanta scribendi magnificentia celebrantur. Non propositum mihi est inquirere quid pro chronologia auctor effecerit, quî ab Orosio differat, num ab eo potius exemplum sumpserit quam a recentioribus chronologiæ universæ tabulis, quæ apud Tursellinum, exempli gratia, aut Petavium occurrunt. Res est inter eruditos disputanda. Sed quantum ab Orosio scriptor noster differat, si rapiditatem narrationis, si rerum delectum qui apud Orosium nullus est aut indiligens, atque ad præsentis causæ utilitatem, non ad historiæ veritatem accommodatus, si eventorum cognationes, totius denique historiæ vinculum attendere velis, non probatione eget. Pa-

ginam tamen apud Orosium notare licet, auctoris nostri sententiis satis similem : animadvertit sæpe Orosius post tot et tam dira bella, pacem repente in toto orbe factam, nascente Christo; lætitia singulari perfunditur cum hanc pacem narrat, tam diu desideratam, et jussu Dei, Christo adveniente, ubique factam : « Igitur eo tempore, inquit, id est eo « anno quo firmissimam verissimamque pacem ordi« natione Dei Cæsar composuit, natus est Christus : « cujus adventui pax ista famulata est, in cujus ortu « audientibus hominibus exsultantes angeli cecine« runt : Gloria in excelsis Deo et in terra pax homi« nibus bonæ voluntatis [1]. » Et alio etiam loco : « Qui annus, quantis, quam novis, quamque inusi« tatis bonis abundaverit, satis, etiam me non profe« rente, compertum haberi arbitror, toto terrarum « orbe una pax omnium, non cessatione, sed aboli« tione bellorum, clausæ Jani gemini portæ, exstir« patis bellorum radicibus [2]... » Idem dixit quoque scriptor gallicus, et rem ab Orosio longius memoratam, rapido, ut solet, et eloquenti dicto exprimit : « Victorieux par mer et par terre, il ferme le temple « de Janus. Tout l'univers vit en paix sous sa puis« sance, et Jésus-Christ vient au monde [3]. »

Aliam sententiam notavi quæ et apud Augustinum occurrit, scilicet imperium romanum secretis Dei consiliis paratum fuisse, ut omnibus gentibus sub

[1] *Oros. histor.* lib. VI, c. 22.

[2] *Ibid.*, lib. VII, c. 2.

[3] Bossuet, *Discours sur l'Hist. univers.*, Ire part., 9e époque.

una ditione coactis facilior christianæ fidei per totum orbem aditus pateret. Non levis momenti hanc Augustini opinionem esse crediderim, in qua Providentiæ non tantummodo præsentia gubernantis sed e longinquo rationes suas præparantis doctrina continetur. Raro apud Orosium aut Salvianum tale quidquam occurrit, cum de præsenti semper administratione Dei, nunquam de secretis et remotioribus Dei consiliis agant. Hanc sententiam crebro scriptor gallicus usurpavit : « Dieu, qui avait résolu de rassembler dans le même temps le peuple nouveau, de « toutes les nations, a premièrement réuni les terres « et les mers sous ce même empire. Le commerce « de tant de peuples divers, autrefois étrangers les « uns aux autres, et depuis réunis sous la domination romaine, a été un des plus puissants moyens « dont la Providence se soit servie pour donner « cours à l'Évangile[1]. »

Si hæc illi cum Orosio et Augustino, quos tantopere superavit, communia sunt, a Salviano quoque multa accepit quæ majora faceret. Ab Augustino

[1] *Discours sur l'Hist. univers.*, IIIe part., chap. 1er. Vide etiam *Méditations sur l'Évangile :* « Dans le dessein que vous « aviez de former votre Église, en la tirant des gentils, vous « aviez préparé de loin l'empire romain pour la recevoir. Un si « vaste empire, qui réunissait tant de nations, était destiné à « faciliter la prédication de votre Évangile, et lui donner un « cours plus libre. Il vous appartient, ô Seigneur ! de préparer de « loin les choses, et de disposer pour les accomplir des moyens « aussi doux qu'il y a de force dans la conduite qui vous fait « venir à vos fins. » LXXIIe jour.

doctrinam, ab Orosio temporum narrationem, a Salviano autem sententias de justissimo Dei judicio sumpsisse videtur, et hic ut semper proprium sibi fecit quidquid tractavit. Quod super cives suos, pro tot flagitiis castigatos, Dei judicium pronuntiavit Salvianus, pronuntiat quoque meldensis episcopus, fortiori quidem ac multo magis horrenda voce, cum non tantum tempus quoddam, sed omnia sæcula, omnia imperia, res denique humanas ab initio mundi, Deo approbante, judicare videatur.

Ne in vituperationem veniam, si nihil amplius de tanta illius operis magnitudine addiderim. Non enim mihi negotium est tantum librum laudare, nec res profecto nova aut necessaria foret; mihi hoc unum propositum est, ut, quæ sint hujus ædificii antiquæ materiæ, qui operis fontes, quæ origines, inquiram. Nunc igitur, licet nonnulla forsan insuper adjicienda fuissent, me tamen, ni fallor, nihil grave atque utile oblitum fuisse existimarim, si ultimam hanc sententiam exposuerim. Scilicet diximus Augustinum Orosiumque, in tractanda historia, magis Dei quam hominis partes curavisse, omnia apud eos ad Deum respicere, nihil fere causis vere humanis concedi, unde factum est ut, Deo ubique apparente et replente omnia, ad nihilum historia redigatur. Ea est vero amplissima scriptoris nostri præcellentia, quod, licet Dei providentiam non magnificis minus sententiis profiteatur, nunquam tamen homini nimium detrahat, ita ut tum primum in christianis litteris rursus appareat ea, de qua superius egimus, veterum histo-

ricorum doctrina, qua res humanæ, humanis causis, fortitudine, patientia, politicis virtutibus explanantur. Et licet ille, apud meldensem episcopum, Deus imperia constituat et regibus concedat, resque humanas secundum sua consilia ad finem certum deducat, omnes tamen eventus ex hominum voluntate prodeunt : « Car « ce même Dieu qui a fait l'enchaînement de l'univers, « et qui, tout puissant par lui-même, a voulu, pour « établir l'ordre, que les parties d'un si grand tout « dépendissent les unes des autres ; ce même Dieu a « voulu aussi que le cours des choses humaines eût « sa suite et ses proportions ; je veux dire que les « hommes et les nations ont eu des qualités propor- « tionnées à l'élévation à laquelle ils étaient destinés ; « et qu'à la réserve de certains coups extraordi- « naires, où Dieu voulait que sa main parût toute « seule, il n'est point arrivé de grand changement « qui n'ait eu ses causes dans les siècles précédents [1]. » Scribere potuisset Polybius quidquid de romana potentia, de reipublicæ incrementis aut ruina dixit; eamdem admiror historiæ intelligentiam eamdem adhibitam fidem his virtutibus quibus civitates in altum provehuntur. Idem ille divini rectoris præco magnificus, qui tam facundo sermone Deum ubique præsentem, ubique agentem nuntiavit, hominum labores, actus, conatus fortissime intelligere valuit. Quam Polybii et Romanorum historicam doctrinam primi christiani scriptores, Deo

[1] *Discours sur l'Hist. univers.*, IIIe part., chap. II.

unice intenti, parum curaverant, repetit novissimus ille ecclesiæ pater, ita ut duas doctrinas, quas initio hujus disquisitionis separatas atque sibi adversantes vidimus, hic tandem conciliare potuerit, et ea necessario occurrat nostræ hujus scriptionis conclusio, sane perfectum atque absolutum esse illud opus in quo, (quod non satis, ut nobis videtur, hactenus notatum fuit,) duæ illæ antiquitatis et christianæ religionis doctrinæ sibi invicem convenientissime auxilientur.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. v kal. april ann. MDCCC XLIII,

Facultatis Litterarum in academia Parisiensi Decanus,

J. Vict. LE CLERC.